

Spons. p. 13. num. 6. Diana part. 1. tr. 3. ref. 3. 32. & est reus in cap. Si tibi absentia, de Prob. in 6. Tamb. d. lib. 8. tr. 6. cap. 2. §. 5. num. 7.

QUÆRES III:

4170. Quomodo cognoscatur, an quis sit de Parochia ad effectum contrahendi valide matrimonium coram proprio Parocho?

R. Esp. esse distinguenda quatuor genera habitantium. Primum est eorum, qui fixum habent domicilium per totum annum in Parochia. Secundum est illorum, qui habitant pro majori parte anni tantum, ut Scholares Patavii, vel litigantes Venetiis. Tertium illorum, qui per paucos dies occasione solatii, aut recreationis. Quartum illorum, qui vagi sunt, & nullibi morantur, ut sunt comici, & circulatores. Modò: personæ primæ & secundæ generis absque dubio contrahunt coram Parocho, in cujus Parochia morantur. Secus est de illis tertii generis, quia non dicuntur habere domicilium ibi, ubi ex itinere morantur. Personæ quarti generis censentur de Parochia, ubi se firman, quamvis citò discessuri. Barbof. in Collectam. DD. ad Concil. Trid. sess. 24. cap. 7. Tamb. d. cap. 2. §. 5. n. 10. 11. & 12. ubi tamen num. 13. advertit, non debere Parochum matrimonii vagorum assistere, nisi prius exhibeant licentiam Ordinarii, & attestacionem libertatis eorundem ad tradita per Concil. Trid. sess. 24. cap. 7. de Reform. Matrim.

QUÆRES IV:

4171. Si sponsi sint diversarum Civitatum, & faciunt mandatum protra duobus amicis in alia Civitate commorantibus, ut eorum nomine matrimonium contrahant; an Parochus Procuratorum fuerit verus Parochus, & poterit valide assistere matrimonio?

R. Esp. hunc casum non inveniri apud Doctores discussum, ut notat Tamb. d. lib. 8. tr. 6. cap. 2. §. 6. num. 23. Ubi doctè equidem sic distinguit: vel unus sponsus tantum est absens, & ejus loco deputatur Procurator; & tunc matrimonium poterit celebrari coram Parocho sponsi præsentis cum intervenit Procuratoris pro sponso absente. At si ambo sponsi absint, & uterque eorum fecerit Procuratorem ad contrahendum, qui Procuratores stent in alia Civitate; Parochi illorum Procuratorum nequaquam possunt validè assistere matrimonio pro eos procuratorio nomine contrahendo, quia neuter illorum est Parochus sponso: Ideò necesse erit, ut Parochus sponso deleget facultatem Parocho Procuratorum assilendi prædicto matrimonio; quod non est neque difficile, neque grave, quia debent etiam ipsi sponsi mittere attestaciones suæ libertatis. Ita Tamb. ubi supra dicit. num. 23.

QUÆRES V:

4172. Quid dicendum de Regularibus quoad administrationem Sacramentorum?

R. Esp. Regulares, qui sine Parochi licentia presumunt Clericis, aut Laicis Sacramentum Extremae Unctionis vel Viaticum ministrare, aut Matrimonia solemniter benedicere, incurrere communicationem Papæ reservatam; ex Clericis lib. 7. tit. 7. cap. 1. Excusat autem ignorantia etiam quia censura est contra præsumentes. Vid. num. 433 1. & 3979.

Quid de Extrema Unctione, & Viatico quoad commensales, hospites, servientes, &c. quidque in extrema necessitate in articulo mortis, &c. Vide Conf. 31. Pii V. Ad immemorabilem, 13. Febr. 1567. in Bullar. Conf. 48. Pauli III. Licet debitum, 18. Octob. 1549. in Bullar. Pailier. tom. 2. q. 187. art. 1. num. 994. Pasqual. q. 404. & seq. Gabriel à S. Vinc. d. 1. q. 2. Amandoliam, tom. 2. par. 6. sel. 2. dub. 1. Dianam, p. 2. tr. 4. resp. 170. & Barb. ref. 20. num. 22. qui refert Concil. Pauli III. & Leonis IX.

Post relatos Pontifices, & Doctores, omnino prius videndos, videt potest Matthæucci in Officiali Curia, tom. 2. à pag. 263. Quoad Sacramentum Penitentia: fusè dictum est libi.

DUO TESTES

4173. Debent esse presentes, ut in num. 4158. 4159. & unum intervenit contractui, dum actu consentus præstatur, ita ut non sufficiat, si unus audiat consentum viri, alter mulieris.

4174. Una sola qualitas est necessaria in testibus, nempe usus rationis; unde qualibet persona cujuslibet conditionis, aut status, vir, mulier, cognata, infamis, excommunicata, infidelis, &c. Et cujuslibet ætatis, dummodo usum rationis habeat, est testis habilis, quoad matrimonium contrahendum; quia Trid. cit. nullum excipit per teste.

Ad testificandum autem veli nulitate matrimonii non sufficiunt, sed requiruntur testes omni exceptione majores. Cap. 1. de Consanguin.

14. RAPTUS MULIERIS

4175. Dirimit matrimonium, ita ut raptor non possit raptam ducere, quamdiu manet in potestate raptoris, bene verò quando fuerit à raptore separata, & posita in locotuto, si tunc illa liberè consentiat, sed etiam tunc raptor, & omnes illi, qui consilium, auxilium, & favorem præbuerunt, sunt ipso jure excommunicati, ex Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6. Ad raptum autem requiruntur tria, ex num. 2158.

4176. Sufficit 1. Si violentia inferatur ipsi femine in principio, licet postea copule annuat. Non sufficit autem, si in principio raptus consentiat, & postea revertens fuerit cognata; quia initium est attendendum, quo violentia inferuit. 2. Sufficit quod sit raptus femina, sive virginis, sive corrupta, sive meretricis; non sufficit, si sit viri. Ratio primi, quia Trident. respicit offensam, & impedimentum libertatis matrimonii, quod habetur etiam-

etiam si mulier inhoneſta rapiatur. Ratio ſecundi, quia lex eſt pœnalis, adeoque cum loquatur de viro raptore, non debet extendi ad mulierem raptivam. Ita Fenech.

CAPUT VI.

DE DISPENSATIONIBUS.

4177. Dispensatio eſt juris alicujus relaxatio. Unde non poteſt fieri ſine rationali cauſa.

4178. Dispensatio data ſine cauſa à Superiore eſt valida, ſed illicita; data verò ab inferiore in lege Superioris, eſt etiam invalida; ut pariter dictum eſt de voto. In utroque caſu dispensantes peccare mortaliter, docent antiqui; venialiter moderni, apud Dianam, part. 8. tr. 3. ref. 6. Clericatus cap. 136. num. 1.

4179. Cauſæ, ob quas ſolet Pontifex in impedimentis matrimonii diſpenſare, ſunt præcipuè ſeptem.

Primo, Anguſtia loci, ob quam non inveniri ſibi parem, cum non ſint ibi pares.

4180. Secundo, Paupertas, ſeu incompetencia dotis, ob quam non poſſit extra cognatos inveniri conjugium.

Non obſtante ſpe futuri ſucceſſionis ab inſtamento, aut legati, ſi non habet mulier parentes divites, qui teneantur, & cogi poſſint ad eam dotandam. Si mulier ſit deformis, & hac de cauſa cum ea dote non poſſit nubere extra cognatos, cenſetur pauper, ſed id debet exprimi.

4181. Tertio, Grave periculum litis, aut inimicitia.

4182. Quarto, Aetas femina excedens; puta ſi annus 24. excedat, ſe innopta remaneat.

4183. Quinto, Conſervatio familiae illuſtris, & in Eccleſia benemerita. Nobilitas eſt deſumenda à patre, non tantum à matre.

4184. Sexto, Timor ſcandali, aut periculum infamiae.

4185. Septimo, Larva elemoſyna.

4186. Diſpensatio, ſi in ea taceatur verum, aut exponatur falſum, dicitur ſubreptitia, ſeu obreptitia. Et eſt nulla, ſi taceatur verum, aut exponatur falſum circa cauſam ſalem: Non eſt nulla, ſi circa cauſam impuſſivam. Cauſa finalis eſt illa, ſine qua diſpensatio non concederetur. Cauſa impuſſiva eſt illa, ſine qua concederetur diſpensatio, ſed non tam facilitate, aut prompte. Clericatus cap. 137. num. 1. cum Tamb.

4187. Subreptitia eſt diſpensatio, & inde nulla: Primo, ſi ſit expoſitum unum impedimentum pro alio, v. gr. gradus conſanguinitatis, pro gradu affinitatis, aut ſi ſub dubio impedimento certum.

4188. Secundo, ſi factus ſit error ex expreſſione Diocceſis. Clericatus cit. num. 21. cum Tamb. contra Dianam, part. 8. tr. 3. ref. 64. & Mendo

in Epit. cit. num. 13. qui opinionem affirmativam vocat certò probabilem.

4189. Valida tamen eſt, & poteſt ab Ordinario executioni mandari. 1. Si error ſit in nomine, aut cognomine: conſtat tamen de veritate corporum, ſeu perſonarum. 2. Si ſit in exponendo gradu proximiori pro remotiori; ſecus, eſt contra: praxis tamen eſt in hoc ſecundo caſu; ut littera reoſtituantur Romam pro correccionem, Clericatus, Tamb. & Mendo cit.

4190. Si orator taceat repulſam antea ſuper eadem ſupplicatione ſibi datam; valet diſpensatio Clericatus cit. 173. n. 2. cum Diana part. 8. tr. 3. ref. 54. Tamb. cit. & Sanchez.

4191. Et quamvis Tamb. cit. idem doceat, ſi data repulſa à Superiore, ſit recurſus ad inferiorem habentem facultatem diſpensandi, abſque eo quod, & repulſa notificetur.

Id dico verum in caſibus, in quibus inferior habet à ſuperiore conceſſam facultatem ordinariam, ſeu delegatam diſpensandi; ut eſt in votis ex num. 1623. & 2962. minimè in caſibus, in quibus inferior ſolum eam habet ex epiceja, nimirum ex rationabiliter præſumpta voluntate Superioris; hanc autem habet Episcopopus in impedimentis dirimentibus, non primam, juxta dicta num. 4229. & 4339.

4192. Qui poſt obtentam diſpensacionem ducendi Roſam conſanguineam, petat diſpensacionem pro ducenda alia conſanguinea, teneatur exponere primam diſpensacionem, ſi hæc fiat inutilis ex ſola mutatione animi ipſius potentis; non teneatur verò, ſi per ipſum non ſteterit, ſed prima diſpensatio ſit revera facta inutilis, in quantum Roſa ſit mortua, facta Religioſa, aut nolit. Clericatus cit. num. 3. cum Diana part. 8. tr. 3. ref. 55.

4193. Qui diſpensacionem obtinuit ſuper impedimento criminis ob uxoricidium, inde occidat ſecundam uxorem, ut ducat tertiam, teneatur exponere priorem diſpensacionem. Clericatus cit. num. 4. cum Tamb. contra Filliuc. quia difficilius conceditur gratia, replicato delicto, quam unico; bis, quam ſemel.

4194. Qui obtinuit diſpensacionem ſuper voto ſimplicis caſtittatis ad contrahendum, ſi mortua uxore, petat diſpensacionem in voto, non teneatur primam diſpensacionem exprimere; quia in hoc non adeſt delictum: Et prima diſpensatio eſt expleta. Clericatus cit. num. 5. cum Tamb. Vide num. 264.

4195. Qui ſimul plura impedimenta habet, tutius eſt, ut illa ſimul exponat, & pro omnibus ſimul, & non ſeorſim diſpensacionem petat, ob rationem de num. 4193.

Quòd ſi unum ſit occultum, alterum publicum; tunc poteſt, & debet ad Datariam recurrere pro publico, reticito occulto, & pro occulto ad S. Penitentiarium, cui tamen ſignificare debet impedimentum publicum, ſuper quo Dataria diſpensavit, aut eſt diſpensatura. Clericatus cit. num. 7.

4196. Si duae sint expositae causae; vera una, altera falsa, quarum tamen qualibet est sufficiens ad dispensationem, validam esse dispensationem, tenet Mendo in Epit. verb. *Dispensatio*, num. 16. quamvis facilis ob causam falsam Papa dispensasset; quia *utile per inutile non vitatur*. Idem docet Clericatus cit. num. 19. Si causa falsa potius reputetur impulsiva, quam finalis; tutius tamen ait, denovo ad Papam recurrere, & certum reddere de causa falsa, ob periculum nullitatis, & ita est practicandum.

4197. Si post dispensationem super affinitate ex copula illicita cum consanguinea sponse iterum quis habeat rem cum eadem consanguinea sponse, non requiritur nova dispensatio, si copula contingat ante executionem dispensationis a delegato factam; requiritur verò, si contingat post executionem dispensationis, sed ante contractionem matrimonii. Clericatus cit. & Diana part. 8. tract. 3. ref. 65. quia dispensatio data non tollit affinitatem ex nova copula supervenientem.

DE CLAUSULIS DISPENSATIONIS.

4198. **T**ria in hac re à Doctõribus considerantur. 1. *Materia*, & *causa dispensationis*: de materia, super qua potest peti, & obtineri dispensatio, puta voto, irregularitate, matrimonio, &c. fusè insinuatum est in instructione S. Penitentiarie, pag. 32. à num. 157. De causis actum est à num. 4197. & in propriis locis materiarum. 2. *Forma litterarum dispensationis*, de qua in num. 260. 3. *Observanda in executione dispensationis*.

PRO FORO INTERNO.

4199. **P**rima clausula, quod Executor ab ipso impetrante eligendus sit *Confessarius Magister in Theologia, vel Doctor decretorum, ex approbatione ab Ordinario*. Non sufficit, si sit purè Licentiatas. Vide num. 261.

4200. Secunda: *Discretionem tuam committimus, quantum, si est ita*. Unde debet Confessarius se informare de veritate causae expositae; solo penitente, cui est credendum. Quod si Confessarius aliundè sciat, expositum esse falsum, non potest litteras exequi; quia secundum propriam scientiam debet exequi. Semper sigillum confessionis custodiat.

4201. Tertia: *Iniuncta ei gravi penitentia salutari*. Penitentia iniungenda remittitur arbitrio, & prudentiae Confessarii, attenta gravitate delicti, seu causae, & circumstantiis considerata.

Si peccatum fuit in priori confessione absolutum; & debita penitentia satisfacta, quamvis non sit necessaria nova absolutio, & penitentia, congruit tamen, stante nova accusatione Sacramentali in litteris requisita, quod detur nova absolutio, & penitentia, mitior tamen, attenta priori, & ita est in praxi servandum. Clericatus cap. 139. num. 10.

Si penitentia sit litteris praescripta, est ad litteram servanda.

4202. Quarta: *Dummodo impedimentum sit occultum*. Quid sit occultum, fusè habes à num. 3317. ad 3320. & in tom. 2. num. 72.

4203. Bulemb. lib. 1. tract. 2. cap. 4. in Appendice dispens. S. Penit. habet: Esti aliqua impedimenta, v. gr. cognationis spiritalis, natura sua sint publica, cum contrahantur in facie Ecclesiae: fieri tamen potest per accidens, ut sint occulta, v. gr. 1. Ob diurnitatem temporis, ex quo contracta. 2. Ob distantiam loci à loco contractae cognationis. 3. Per mortem eorum, qui fuerunt consocii. 4. Per ignorantiam hujus contractionis.

Omninò tamen servandum est dictum in num. 3419.

4204. Vericelli tract. 3. q. 51. num. 8. excipit casum, quo in litteris dicitur: *Dummodo impedimentum, seu delictum sit omnino occultum*. Et tunc vult, occultum dici, quod probari non potest; adeoque si probari potest, non possit dispensatio executioni mandari.

4205. Quinta: *Ut conjux ignara impedimenti certioretur de nullitate prioris consensu, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur*. Vide num. 4243. & 4246.

Alias clausulas vide in num. 263.

PRO FORO EXTERNO.

4206. **E**X Clerico, cap. 138. & Tamb. cit. cap. 12. Dispensatio matrimonii est executioni danda ab eo, cui est à Papa directa, non potest ab Episcopo, si est directa Vicario, & è contrario.

4207. Vicarius, cessante officio, non potest dispensationem ab ipso inceptam expedire, si commissio sit realis facta, nempe Vicario, ut Vicario, sed tunc expeditio spectat ad successorem: Potest autem eam expedire, si sit personalis, facta scilicet per nominationem personae. Clericatus cap. 28. num. 2. cum Tamb. qui ait personam censeri, si dicatur: *Tibi Joanni Vicario*. Vide num. 4225.

4208. Vicarius Capituli, Sede vacante, non potest expedire dispensationes matrimoniales in expedita à Vicario Episcopali relicta. Clericatus cit. cum Tamb. ex Canonistis; quia Papa parum illis fidei; indè solet pro Dixerianis Sedis vacantibus, Episcopo viciniori committere.

4209. Tunc Episcopus vicinior, si ante expeditionem, Sedes fiat plena per adventum novi Episcopi, potest litteras dispensationis expedire, si executio sit incepta: si verò res sit integra, hoc est, si litterae non sint jam ei presentatae, non potest eas expedire; sed tunc Dixerianus debet novam commissionem petere.

4210. Executor delegatus potest alteri committere examen testium, vel informationem, minimè ipsam actualem dispensationem, quia quoad hanc Papa exposcit factum ipsius delegati.

4211. Informationes sumere potest judicialiter, aut extrajudicialiter ad sui libitum, & prudentiam.

Va-

4212. Valet dispensatio, si causa sit vera, licet probata per falsos testes: Non valet verò in foro conscientiae, si sit falsa, sed appareat vera per falsos testes.

4213. Quamvis in litteris apponi soleant haec verba: *Propter has, & similes alias causas rationabiliter animus nostrum moventes*: executor non tenetur praeter causas expressas, de aliis generalibus se informare, nisi id tanquam conditio apponatur.

4214. Executor non potest aliquid munus, aut praemium pro labore dispensationis recipere, ob clausulam, quae in litteris solet apponi: *Quod si secreta hac monitione aliquid muneris, aut praemii recipias, excommunicationem latam incurras*. Et quamvis Perez, & alii apud Tamb. cit. & Dianam p. 8. tract. 3. ref. ult. dicant, per dictam clausulam non prohiberi esculenta, & poculenta non magni valoris, cum haec dentur non ad corruptum Judicem, sed ad celeriore expeditionem: nec prohiberi officiali aliquid accipere pro labore in expeditione, pro accessu ad examinandos testes nolentes venire, pro copiis processuum post expeditionem; Clericatus vult, esse ab omni acceptance abstinendum.

4215. In dispensatione, quae conceditur in forma pauperum, in qua scilicet non imponitur multa pecuniaria, sed penitentia per opera praescripta; non potest executor penitentiam, seu opera praescripta mutare, minuere, aut differre. Tamb. cit. cap. 13. §. 2.

Et quamvis Clericatus, cap. 138. num. 11. putet, quod possit mutare ex gravissima necessitatis causa; tutius tamen ait, esse tunc ad Datariam recurrere pro facultate minuendi, differendi, &c.

QUAERES:

4216. *Quid agere debeat executor, si post expeditionem dispensationem comperiat, se errasse?*

Resp. quod executor tanquam Delegatus non potest sanare errorem. Tamb. cit. §. 1. num. 20. quia Delegatus, postquam functus est munere suo, nihil potest.

Quia tamen talis executor pro foro externo solet esse Ordinarius, qui incumbit providere, in quantum potest, ne delicta patrentur: idè, si erravit in exequendo, debet matrimonium prohibere; & si reperitur contractum, debet conjuges separare, donec iterum à Pontifice dispensatio commendetur.

4217. Si erravit denegando dispensationem, pronuntiando eam invalidam, tunc nihil potest, sed tunc debent Oratores iterum recurrere ad Papam, seu Datariam, exposito errore, non enim potest ut delegatus, quia ut delegatus jam functus est officio suo, pronuntiando dispensationem invalidam, ut in num. 4216. nec ut Ordinarius; quia ut Ordinarius non habet auctoritatem exequendi dispensationem Pontificiam pro errore denegatam. Hic autem est sermo de dispensatione concessa per Datariam, seu

pro foro externo, quia in jure, data semel sententia, non admittit reditum ad eandem causam.

4218. Loquendo autem de dispensatione concessa per S. Penitentiarium pro foro interno conscientiae, potest error in denegando commissus à Confessario sanari; quia de natura fori interni conscientiae est, ut Confessarius possit mutare consilium per meliorem considerationem, a ut opinionem, & per rectius iudicium.

Hinc fit, ut si Confessarius legitime ab Oratore electus aperiat litteras S. Penitentiar. & denegat dispensationem, putans causam non verificari; postea, re maturius considerata; judicet causam verificari, adhuc potest dispensare; quia opinio, vel error alterius non debet obstrare Oratori.

Nec obstat, quod litterae fuerint apertae, quia apertio illa fuit materialis, quae non obstat valoris; & Confessario injungitur apertio formalis, videlicet cum facultate dispensandi. Ita Tamb. cit. cap. 13. §. 3.

DE CESSATIONE DISPENSATIONIS.

4219. **D**ispensatio non cessat per cessationem causae impulsivae, bene verò per cessationem causae finalis, seu principalis, causa namque principalis dispensationis verificari debet. Vide num. 4186.

Pro cuius rei claritate, quoque sunt distinguenda tempora. 1. Quando mittitur supplicatio ad Pontificem. 2. Quando, ea lecta, Pontifex annuit. 3. Quando executor dispensationem concedit. 4. Quando post dispensationem concessam, matrimonium contrahitur. 5. Denique quando matrimonium est jam contractum. Hac distinctione praemissa,

Conveniunt Doctores, non esse opus, ut causa verificetur primo tempore. Tamb. lib. 8. tract. 2. §. 3. num. 4. Bonac. & alii apud ipsum. Quantum ad reliqua tria tempora,

4220. Dico 1. Opus esse, ut causa verificetur secundo tempore, nimirum quando Pontifex annuit. Caltrop. tom. 1. tract. 3. disp. 4. part. 4. num. 2. contra Tamb. cit. Quia Pontifex supplicationibus annuit, si exposita sint vera: Quae opinio est probabilior, simul & tutior, adeoque servanda; cum agatur de valore Sacramenti. Vide à num. 75. & à num. 3256. ad 3284.

4221. Dico 2. Si causa secundo tempore quando Pontifex annuit, erat vera; tertio verò tempore, quando executor illam concedit, cessaverit esse vera, potestas dispensandi cessat; & si concedatur, est invalida: est communis, & sequitur à fortiori, maxime ex verbis litterarum dispensationis, *si est ita*.

4222. Dico 3. Si causa secundo, & tertio tempore fuit vera, quarto autem tempore, quando post dispensationem ab executoro concessam, matrimonium contrahitur, cessaverit esse vera, cessat dispensatio, & dispensati tenentur sub nullitate à matrimonio contrahendo abstinere Sanchez lib. 8. de Matrim. d. 40. num. 14. contra Tamb. cit. num. 9. Ratio est, quia

quia tunc dispensatio, cessante causa, non cessat, quando est redacta ad actum irrevocabilem, dispensatio autem, quamvis supponatur ab executore concessa, non dicitur redacta ad actum irrevocabilem, nisi quando matrimonium est jam actu contractum, minime antequam contrahatur; igitur si causa, quae secundo, & tertio tempore fuit vera, cessat ante quartum tempus, antequam scilicet matrimonium contrahatur, dispensatio cessat; quoniam non est jam redacta ad actum irrevocabilem, sed faciliter revocari potest.

Hinc si causa, ob quam fuit dispensatum, fuit paupertas mulieris, si mulier sine secundo tempore, quando Pontifex annuit, sive tertio tempore, quando fuit dispensatio ab executore concessa, sive quarto tempore, post talem dispensationem concessam, antequam tamen actu matrimonium contraheret, evaserit dives, non potest matrimonium contrahere.

Non desunt tamen Doctores, Tambur. cit. Busem. lib. 1. tract. 2. cap. 4. dub. 4. Diana, Suarez, & alii, apud ipsum, qui tenent, quod quando agitur de re individua, & quae non habet tractum successivum, sed consumatur in unico actu, & est permanens, ut est contractus matrimonii, quod dispensatio non cessat, si causa cesset post dispensationem ab ipso executore expeditam, antequam periciatur contractus, hac moti ratione; quia dispensatio jam fuit expedita, & cum dispensatio sit relaxatio juris, per dispensationem jam fuit extincta obligatio legis; obligatio autem legis semel extincta non reviviscit, & quod destructum est, non reproducur, nisi ab eo, qui producere potest. Unde concludunt, quod dicta mulier, quae post dispensationem ab ipso executore concessam, evasit dives, quatenus acquisivit dotem, aut hereditatem, adhuc possit matrimonium, super quo fuit dispensata, contrahere. Sed haec ratio soluta manet per rationem nostrae resolutionis.

4223. Dico 4. Si causa cesset, quando jam est matrimonium contractum, non cessat dispensatio: est communis. Ratio est; quia matrimonio jam contracto, dispensatio est jam redacta ad actum irrevocabilem, cessante causa, non cessat; adeoque cessante causa, matrimonio jam contracto, dispensatio non cessat. Confirmatur; quia ex una parte matrimonium fuit validè contractum, nam causa (ut supponitur) non cessavit ante, sed post: Ex alia contractus matrimonii est re individua, non habens tractum successivum, sed consumatur unico actu, & est permanens.

Eadem ratione, si post beneficium per dispensationem obtentum, cessat causa, ob quam fuit dispensatum, non cessat dispensatio, nec beneficium.

Ex quo habes, quod quando dispensatio est de re dividua, & quae habet tractum successivum, si causa cesset post actum, super quo est dispensa-

tum, cessat dispensatio in posterum pro reliquis actibus: Hinc qui est dispensatus ob dubiam infirmitatem ad carnes, cessante infirmitate, tenetur à carnibus abstinere; & qui ob dubiam oculorum infirmitatem, aut dubium capitis dolorem dispensatus est ab onere recitandi horas, causa cessante, tenetur ad illas; quia agitur de re dividua, habente tractum successivum. Vide num. 455.

4224. Dispensatio matrimonii, seu facultas dispensandi non cessat per mortem Pontificis, tam si res non est integra, sed incepta, cap. Gratum, cap. Relatum, de Offic. Deleg. quàm si est integra, videlicet, quatenus dispensatio non est incepta; quia dispensatio est gratia, quae non expirat morte concedentis. A qua regula in jure duo tantum excipiuntur casus, nimirum in materia beneficii, & in rescriptis iustitiae, in quibus re integra, moriente delegante, delegatus non potest procedere, cap. Si cui, de Præb. in 6. & in locis cit. Clericatus cap. 150. num. 3.

4225. Si delegatus moriatur antequam dispensationem expediat, si gratia erat realis commissi, videlicet non personae, sed officio, v. gr. Episcopo, expediti potest à successore; minime, si erat personalis; sed tunc, si actus dispensationis esset completus, & solum non dedisset litteras testimoniales, possent Oratores in foro conscientiae dispensatione frui. Clericatus cit. cum Tamb. Vide num. 4207.

Denique non cessat dispensatio per non usum, v. gr. octo, aut decem annorum, etiam si Orator dixisset, sed nolle ea uti; nec eam ratam habere; sed ut cessaret, & requireretur, ut Oratores renunciarent, & renunciatio sit acceptata à Pontifice. Clericatus cit. cum Tamb.

SUMMUS PONTIFEX

4226. **D**ispensare potest in impedimentis Jure solum Ecclesiastico dirimentibus; etiam in voto solemnium castitatis, & Religionis ex gravissima causa: sic Alex. III. dispensavit cum Nicolao Justiniano Monacho ad nubendum, & Celestinus dispensavit cum Constantia Moniali professa, filia Rogerii Siciliae Regis, ut nuberet Henrico Sexto Regi. Vide num. 4227.

EPISCOPUS

4227. **P**otest dispensare in impedimentis ex Jure Canonico dirimentibus, quatuor conditionibus concurrentibus, videlicet:

1. **D**ammodo. 1. Matrimonium sit jam bona fide contractum. 2. Matrimonium sit publicum, & impedimentum occultum, & separatim sine magno scandalo, infamia, aut damno fieri non valeat. 3. Pontifex adiri non possit. 4. Et periculum sit in mora. Fagnanus lib. 1. cap. Nimis, tit. de Filiis Presbyter. Haec est communis sententia, cui adhaereo.

Ratio prima, quia si matrimonium sit cum scientia impedimenti contractum, dispensare non potest,

teft, nam sicut Papa ex Conc. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 5. excludit à spe dispensationis ab ipso obtinende eos, qui intra gradus prohibitos praesumpserint scienter contrahere, & maxime, si consummare ausi fuerint; sic potiori jure prohibet Episcopus tunc dispensare.

Ratio secunda, quia si matrimonium esset occultum, & impedimentum publicum, potius esset scandalum, si conjuges permanerent in copula fornicaria.

Ratio tertia, & quarta; quia si casus pateretur dilationem, & posset fieri recursus ad Papam, cessaret necessitas recurrendi pro dispensatione ad Episcopum.

4228. Nec paupertas sufficit ad excusandum recursum ad Papam; quia pro impetratione dispensationis non est necessarius accessus personalis Romam. Imò pro impedimentis occultis facilis est recursus (maximè in nostris Regionibus Romae proximis) ad S. Penitentiarium per publicum tabellarium, & ab ea obtinetur dispensatio gratis, etiam pro scriptura; pro qua re aptam instructionem habes, num. 257.

Item pro impedimentis publicis sit recursus ad Datarium, quae legitima urgente causa, etiam pauperibus accedere non valentibus, dispensare solet per litteras.

4229. Ratio, qua, praemissis concurrentibus conditionibus, possit Episcopus dispensare, fundatur primo in consuetudine, quam habent Episcopi super iis dispensandi; consuetudo enim dat jurisdictionem, ex cap. Cum contingat, de Foro compet. cap. Romana, de Sent. excom. in 6. cap. Ut litigantes, de Officio Ordinarii, & cap. Dudum, 5. Licet, de Electione. Vide num. 3274. ad 3281.

Secundo in Epiceja, quia prudenter praesumitur de benignitate Summi Pontificis, quod non velit dispensationem sibi reservare in casu tanta necessitatis, & cum tanto animarum periculo.

4230. Refert Fagnanus cit. sententiam Basilii Pontii de Matrim. lib. 8. cap. 13. num. 6. quam plures moderni sequuntur, quod possit Episcopus in matrimonio etiam contrahendo dispensare in articulo mortis ad legitimandam prolem, etiam si impedimentum sit publicum.

4231. At ritè eam rejicit; quia commodum privatum prolis, & mulieris non est causa sufficiens, & urgens, ut interior dispensare possit in impedimentis Summo Pontifici per Canones Concilii Generalis reservatis; maxime ante matrimonium contrahendum.

4232. Si autem Princeps bona fide jam matrimonium contraxisset in gradu prohibito, aut alio impedimento Jure Canonico dirimenti, & alter conjugum constitutus esset in periculo mortis; ac insuper, nisi proles suscepta per subsequens matrimonium validum legitimeretur, infidelis, aut tyrannus in Regno succederet, tunc (ait Fagnanus) ri-

tè posset Episcopus in impedimento dispensare, & matrimonium validare, ne salus Regni periclitaretur.

4233. Tunc igitur potest Episcopus contra Canones, etiam Concilii Generalis dispensare, quoties magna urgeat causa; & tales circumstantiae adsunt, ut prudenter praesumat, conditionem Canonis de casu illo non cogitasse, & si cogitasset, in prohibitione comprehendere nonlisset; tunc enim locum habet Epiceja, quia non debet praesumi conditorem Canonis fuisse crudelem, cap. 2. de Postul. cap. Licet, de Regul. cap. Si quis vehe, & in cap. Cum ad Monasterium, de Statu Monachorum, num. 4. vers. Quid enim si tota Christianitas, vel etiam aliqua pars ejus esset in periculo?

4234. Quapropter Cardenas, dissert. 2. cap. 8. art. 13. q. 1. subdit, hanc sententiam esse moraliter certam, utpotè ortam ex duabus praemissis certis, quod consuetudo det jurisdictionem, & quod Episcopi consuetudinem habeant in recentibus casibus dispensandi.

4235. Idem tamen tenet, non solum in impedimento occulto, sed etiam in publico, & pro foro externo, tam post contractum matrimonium, quam ante, in casu rarissimo urgentissimae necessitatis, in periculo magni damni, & periculum sit in mora. Tambur. cit. Diana part. 11. tract. 8. ref. 3. ver. Sed observa. Leander de Matrim. disp. 14. q. 9. Tancred. tom. 4. tract. 2. q. 78. pag. 202. Casum adducunt de Titio, qui postquam contraxit sponsalia cum Berta, habuit rem cum illa, insuper factus est illi affinis; ed quia habuit rem cum ejus sorore; deinde constitutus in proximo, & vero periculo mortis urgetur ad matrimonium contrahendum cum Berta, ut sic refarciatur honor puellae, & proles fortè suscepta legitimeretur, vel ut sic graves discordiae sedentur.

4236. Idem docent in similibus casibus, in quibus ex mora nubendi imminet periculum manifestationis delicti, & inde simul mortis.

4237. Insuper Cardenas cit. tenet, posse Episcopum dispensare etiam ante contractum, si eadem incommoda sequantur ante contractum, quae post contractum, & concludit his verbis:

Cum ergo tot sint Authores de ea consuetudine contestantes, constat, talem consuetudinem esse plenè probatam, atque adèd moraliter certam. Et cum certum sit, quod consuetudo det jurisdictionem, relinquatur certum, quod Episcopus habet jurisdictionem ad dispensandum in tali casu urgentissimae necessitatis pro salute animarum. Unde consequenter fit, quod qui in tali casu ineunt matrimonium cum tali Episcopi dispensatione, non eligunt opinionem probabilem, relicta tutiori, sed sententiam moraliter certam, atque adèd non opponantur huic Decreto Innoc. XI. Et licet verum sit, quod aliqui ex his Authoribus contestantibus de tali consuetudine, loquantur de dispensatione post contractum matrimonium; ea tamen dispensatio est ad illud contra-

hendum; quia quamvis tale matrimonium dicatur contractum, revera est contrahendum; quia matrimonium invalidum propter impedimentum dirimens, debet denuo contrahi, ut subsistat: & si eadem urgentia necessitatis contingat in contrahendo, eadem est ratio ad dispensandum.

Si impedimentum sit dubium, & non possit per diligentiam vinci, posse Episcopum declarare, quod non sit opus dispensatione, tenet Clericatus cap. 135. num. 9. cum Tamb. & aliis; quia præsumptio stat pro libertate. Non potest autem dispensare, si dubium sit de iustitia causæ dispensandi; quia tunc præsumptio stat pro impedimento, quod supponitur certum. Vide à num. 4294. ad 4297.

QUÆRES:

4238. Petrus est in secundo gradu consanguinitatis conjunctus cum Rosa, quam deservavit: Urget periculum vite utriusque nisi matrimonio copuleretur, & honor puelle matrimonio recuperandus: Petrus est graviter infirmus, ut non possit Romam accedere: Insuper, dictis expositis motivis petita fuit per litteras dispensatio à Summo Pontifice, qui eam denegavit: quatenus sunt persone infime conditionis, & periculo vite utriusque occurrere potest auctoritate Principis, cujus sunt Vassalli, qui est facti consensu. An his suppositis, possit Episcopus dispensare?

Resp. non posse. Non quidem, ex consuetudine; quia hæc est solum quoad matrimonium contractum, non contrahendum, & impedimento occulto, non publico, nisi in casu publicæ, non privatæ necessitatis, cui non potest aliter provideri.

Nec dicas, consuetudinem extendi ad contrahendum per paritatem rationis. 1. Quia consuetudo inducitur ex actibus frequentatis, & praxi, minimè ex sola paritate rationis. 2. Quia falsum est, quod sit par ratio; nam licet matrimonium cum impedimento contractum sit invalidum, & inde post dispensationem contrahendum, urgentiores tamen militent causæ ad dispensandum post matrimonium, licet invalidè contractum; quoniam supponitur cohabitatio conjugum, & dubium prolis, &c. & major difficultas ad eos separandos.

4239. Nec ex Epikeja; quia Epikeja est fundata in præsumptione rationabili de benignitate Summi Pontificis, quæ non potest in casu præsumi, cum constet de expressa voluntate contraria, etiam circumstantiis omnibus expositis.

Tùm, quia talis Epikeja in casu non habet locum; quia agitur de necessitate privata duorum plebejorum; minimè de publica; nec sumus in casu de articulo mortis, de quo solum loquitur Pontius, qui affirmativam sententiam tenet.

Item; quia periculo dicto privato potest occurrere per auctoritatem Principis, qui mulierem in tuto loco conseruet, & cognatos terreat, &c.

4240. Insuper Epikeja non habet locum; quia illi resistit Trid. sess. 24. cap. 5. de Reform. quod vult,

ut in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. Resistunt etiam Sacri Canones, & Concilia Generalia, quæ cum sint edita quoad bonum publicum, non est in eis dispensandum ob bonum privatum.

COMMISSAR. BULLÆ CRUCIATÆ,

4241. **E**X facultate à Summo Pontifice ipsi concessa potest in foro conscientie dumtaxat dispensare in impedimento afinitatis contracto ante matrimonium, dummodo sit occultum, & alter conjugum bona fide, & ignarus impedimenti contraxerit; & quod de nullitate prioris consensus prius certificati, taciteque (si videbitur ad evitanda scandala) causa nullitatis, matrimonium inter se, etiam secretè de novo contrahere possint prolemque susceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernendo. Hæc Bulla.

4242. Pro qua dispensatione danda est aliqua elemosyna in subsidium Cruciatæ juxta qualitatem personæ. Tamb. lib. 8. de Matrim. tract. 2. cap. 5. qui num. 15. refert praxim D. Francisci Salerno Commissarii, Sede Vacante, qui dispensationem cuidam pauperi concessit, cum opere dandi tarenos sex, qui sunt Julii ferè quinque, in subsidium Cruciatæ: Addens quod potuisset minus, si dispensandus pauperior fuisset.

4243. Et quia hæc dispensatio conceditur in foro conscientie tantum; sequitur, quod si postea impedimentum publicetur, tunc petenda est à Pontifice dispensationis ratificatio, & interim pro foro externo sunt conjuges separandi, quod est servandum, quoties est in quolibet alio impedimento occulto in foro conscientie dispensatum, si postea promulgetur. Eo autem tempore publicitatis, si conjuges rem habeant, non peccant peccato fornicationis; quia sunt verè conjuges, sed peccato scandali, si adfuit.

Denique potest Commissarius Cruciatæ dispensare ad petendum debitum. Vide num. 4301.

CAPUT VII.

DE MATRIMONIO INVALIDO REVALIDANDO.

4244. **S**I matrimonium fuit invalidum ex defectu consensus, vel ratione metus, si defectus fuit ex una tantum parte, altera inscia, sufficit, quod illa tantum consensum renovet signis externis, absque eo quod conjugum inscia manifestetur, ad matrimonium revalidandum, quia consensus illius non solum habitualiter, sed etiam moraliter, & virtute permanet, quoniam usum matrimonii exercet virtute illius consensus semel praestiti, & non jam (ut supponimus) retractati. Tamb. lib. 8. de Matrim. tract. 4. cap. 7. §. 1. num. 5. ex D. Thom. & aliis quamplurimis, apud ipsum.

4245. Si defectus fuit ex parte utriusque, uterque

que debet novum consensum præstare. Renovari autem debet per verba de præsentibus, hoc modo: dicat vir: *angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideo si aliquis defectus fuerit, iterum duco te in uxorem.* Vel interrogare poterit: *me diligis?* Illa respondit: *utique;* tunc subjungat: *angor scrupulis, &c. ideo si aliquis defectus fuerit, vis ex nunc me in matrum?* Illa respondeat: *volo;* tunc, & ipse: *etiam ego te volo in uxorem;* & maximè si copula affectu maritali sequatur. Vide num. 3950. & 4027.

4246. Si fuit invalidum ab aliquo impedimento Juris Ecclesiastici, v. gr. cognationis, afinitatis, &c. tunc impedimento prius per dispensationem sublato, renovent ex utraque parte consensum, sed non minoribus verbis.

Et tunc pars ignara debet prius certiorari de nullitate, saltem in genere; quia consensus fuit ex utraque parte illegitimus, & cum ignorantia circa substantiam, quæque dedit causam contractui. Scotus in 4. d. 30. q. 1. litt. 1. & A. Villal. & alii, apud Cardenas disp. 2. n. 671. Accedit praxis S. Penitentiarie, ubi in formula litterarum ejus dicitur: *Ut dicatur muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nunquam detegatur, matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo, secretè ad evitanda scandala contrahere, &c. dispenses.*

4247. Ex quo tria colliges. 1. Quod conjug ignara certiorari prius debet de nullitate. 2. Quod sufficit certioratio nullitatis in genere, non in specie. 3. Non esse opus, ut talis revalidatio fiat coram Parocho, & testibus, si impedimentum sit occultum; bene verò si publicum; quia cum matrimonium fuerit publicè contractum (licet invalidè) in facie Ecclesie coram Parocho, & testibus, cessant inconvenientia, ob quæ Trid. sess. 24. de Reform. cap. 1. præsentiam Parochi, & testium præscripsit. Tamb. cit. §. 3. qui, ultra quamplures Doctores refert, sic declarasse S. Pium V. Sacram. Cong. Card. & Rotam Rom. Quibus accedit praxis.

4248. Plures graves Doctores, apud Cardenas cit. num. 670. tenent, non requiri talem certiorationem, sed sufficere, ut sola pars conscia impedimenti consensum renovet. At Cardenas cit. à num. 673. & Busemb. lib. 6. tract. 6. cap. 3. dub. 3. docent, hanc sententiam, utpotè minus tutam, & tenuis probabilitatis non esse practicandam, nisi in casu extremæ necessitatis; puta si pars conscia prudenter timeat, aliam partem disensuram, & inde oriri gravissima mala sibi, aut proli, inimicitias, scandala, & mortem. Vel si femina afinitatem contraxit cum viro, eo quia prius rem haberet cum illius fratre, & si id revelet, timeat mortem, aut perpetuam inimicitiam; quia mala non possint aliter evitari, quam omitendo hujusmodi certiorationem. Ita illi.

Addit Cardenas num. 676. quod in hoc 2. casu conjug conscia poterit ignoranti dicere: *se non habuisse consensum,* & quidem non mentitur; quia

consensus ratione impedimenti fuit nullus. Vide à num. 3618.

CAPUT VIII. De indissolubilitate Matrimonii.

4249. **M**atrimonium, tam fidelium, quam infidelium est indissolubile, & perpetuum; etiam Jure Naturæ, & Divino; quia ordinatur ad tria bona matrimonii, quæ de jure nature perpetuitatem important. Vide num. 3959. Unde Christus, ait, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Paulus 1. ad Cor. 7. *Matrimonium alligatum est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Vide num. 4111.

4250. Matrimonium baptizatorum consummatum in nullo casu dissolvi potest quoad vinculum. Est de fide ex Concil. Florent. in Decr. Sac. ex Trid. sess. 24. cap. 3. Vide à num. 4051.

MATRIMONIUM RATUM, dicitur, si non consummatum baptizatorum.

SED non consummatum baptizatorum dissolvi potest quoad vinculum. Primo à Papa potestatem extraordinariam à Christo ei traditam, quoad ea, quæ sunt necessitatis bono Ecclesie regimini, sicut dispensare potest ex gravissima causa in voto solemnium, quod est plus. Hinc in matrimonio rato dispensaverunt Greg. VII. Martinus V. Eug. IV. & S. Pius V. quos refert Ardekin tom. 2. pag. 129. Delbene part. 2. de Inquis. dub. 336. sect. 66. num. 20. Vide num. 4177. Secundo dissolvitur quoad vinculum per solemnem professionem Religiosam. Est de fide ex Trid. sess. 24. can. 6. Idque Jure Ecclesiastico, ut dictum est à num. 4062. & tunc post unius professionem, liberum est alteri conjugi ad alias nuptias transire.

Hic comprehenditur professio in Ordine Militari S. Joan. minimè in aliis Ordinibus Militaribus S. Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ; quia horum professio, licet sit solemnis, est composibilis cum matrimonio; cum voceat castitatem solum conjugalem.

4253. Neque hic comprehenditur professio per vota bienni in Societate Jesu; quia Trid. declarat hoc privilegium dirimendi matrimonium ratum antea contractum, esse à Christo concessum professioni Religiosæ solemnium; hoc est sub votis solemnibus; professio verò in Societate est Religiosa, sed non solemnium; quia fit sub votis simplicibus; unde solum habet dirimere matrimonium contrahendum, videlicet illis superveniens; idque ex speciali privilegio, & declar. Greg. XIII. per Bullam *Ascendente Domino*; at non matrimonium ratum ante illam contractum. Tamb. tom. 2. lib. 8. tract. 5. cap. 6. §. 2. num. 10. cum Doctoribus Societatis contra Pontium lib. 9. cap. 6.

4254. Pro majori claritate scito; Ecclesiam